82 15

IVO
ALTER HERCVLES
GALLICVS

34-6-E-8-

ORATIO
HABITA IN EIVSDEM TEMPLO
AD S·R·E· CARDINALES

A THEODORO ZAMEONO ERETANO
Sem. Rom. Cler.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ,
Ex Typographia Franciſci Corbelletti. M. DC. XXXVI.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

83

EMINENTISSIMO
PRINCIPI
FRANCISCO
CARDINALI
BARBERINO
S. R. E.
VICECANCELLARIO

THEODORVS ZAMEONVS FEL.

*T*ERTIVM *è Cælo Catonem cecidiſſe ridiculo magis, quàm vero protulit hemiſtichio aliquis Poëtarum. Tertiũ tamen Herculem habere ſe gaudet cum Vrbe Principe terrarum Orbis, dum Verticem Te humano faſti-*

Digitized by Google

gio celſiorem vtpote ſummo proximum venera-tur. Primum æmulatus Herculem IVO infinitam Calamitoſorum multitudinem lingua obligauit, & manu Hercules alter. Quos Tu P. E. alloquio recreas Tuo, quam beatè aurearum molitrice catenarum obligat lingua, dum dextera deuincit imperatrix! Tertium proinde iure Te mihi gratulor Herculem cum Eretanis meis ne dicam, an Tuis? Quos vt obſtricti Mundi vltimam non habes appendicem, ita nec haberi nos credimus in amore poſtremos. Quò igitur aureis me beneficentiæ ſimul, ac beneuolentiæ Tuæ catenis trahis Herculem Te cum Hercule ſequor meum. Vulgares mortalium greges ad arbitrium traxiſſe fuit Herculeum quidem: at cum deuincta nationum ferè omnium communitate ipſum etiam quoquò velis Herculem trahere, non niſi BARBERINVM eſt.

IVO

Digitized by Google

I V O
ALTER HERCVLES GALLICVS.
ORATIO.

QVEM duobus proximè conuolutis annis vitale pauperum Cor, & noua manuum Eloquentia pauperibus patrocinantem excepiſtis IVONEM, Eminentiſsimi Principes, illum de more vobis hodie reſtituere conſilium eſt, alterum apud Gallos Herculem, cordata videlicet eloquentia operoſiſſimum in egenorum cauſis oratorem. Auream in dicendo veteris illius Herculis efficacitatem decantato illo aurearum ſymbolo catenarum Gallis olim exprimere viſum fuit, quibus pretioſo ſe fluxu in aures inſinuantibus Auditorum circumfuſa è dicentis ore multitudo pendebat, Oratore interim gauiſa triumphali. Alterum hunc ego Herculem ſapientia priùs moli-

Lucian. Herc.Gal.

trice formatũ, vna deinde calamitoſorũ panegyri frequentiſſima coronatum exponam: quos IVO & amabili verborum catena patrocinãtium obligauit, & erogato liberaliter auro, auxiliaribus veluti catenis iniectis, è ſordido infeliciq; ſeruitio calamitatis exemit: nimirum, vt quando non erat Hercule minor lingua, eſſet etiam Herculi haud impar manu.

Minore igitur editus in Britannia futurus olim humana celſitudine grandior dormienti Matri præmonſtratus initam ante lucem Gygas, teneriore adhuc ætate Lutetiam primò, Aureliam deinde contulit ſe: vt lacteos principis innocentiæ mores primariæ ſimul, ac principis litteraturæ inſtillato candore perficeret vna formatus opificis optimæ ſapiẽtiæ manu; qua videlicet formari manu Herculẽ decet. At cum ſatis, ac ſuper intelligeret, non è quouis efformandum ligno quicumque formatur ad eloquentiam, ad Iuſtitiam omnem ſe ſe IVO compoſuit, vt nulla non ex parte iuſtus in æternam, nullaq; vitiorum carie labefactandam abiret libani cedrum, digna planè cedro locuturus. Quin etiam ne noxia luxuriantium contumacia affectionum caro vegeta laſciuiret, acuta deſæuientium veluti ſecuri pœnarũ ad radicem poſita ſedulò caſtigabat. Vnde fiebat, vt ſola creſcere diſceret integritate, quæ verè per excruciati

Pſ. 91. *Perſ. ſat. 1.* *Matth. 3.*

damna

Digitized by Google

85

damna corporis, & carnis cædes ab ipſo ſumit *Hor. lib. 4. car. od. 4.*
opes animumq; ferro. Num enim ad cædem ſui
manus armabat Ivo, quoties ferreis in ſe catenis
acerrimè deſæuiebat, hiſpidæq; ſuperinduta veſtis
aſperitate corpus interim afflictatione crudeliſſi-
ma diloricabat? Quamquam hac ille nuptia- *Matth. 22.*
li veſte paludatus ad propoſitam ſibi ſapientiæ *Prou. 9.*
menſam accumbebat, eo ſcilicet epulo ſaginan-
dus, quod in terra ſuauiter viuentium ab his, qui *Iob. 13.*
mollibus veſtiuntur delibari non poteſt. Sedebat *Matth. 11.*
ergo ſapientiæ conuiua fortunatiſſimus, eoq; qui
ſuper mel dulcis eſt, intelligentiæ ſpiritu repleba- *Eccleſ. 24.*
tur ad ſolatium miſerorum. Charæ vix conſciũ *Eccl. 39.*
lucis, & neſcium adhuc omnino lactis Græcorum
generoſiſſimum Achillem ad inſignia quæque
facinora educandum Chironi traditum ferunt.
Hic vrſorum, aprorumq; medullis, & leonum vi-
ſceribus, eſculenta videlicet generoſitatis euiſce-
ratę medulla, & intimis emedullatæ viſceribus fe-
rocitatis barbarico planè ritu conditis infantem
longè tenerrimum enutriebat. Ita Prometheo ve- *Hor. lib. 1.*
riùs ac fortunatiùs deſectam è ferociſſimis ani- *car. od. 16.*
mantibus particulam limo illi cum ætate, tum
excellentia verè principi addebat Heroum ille
nutritius, vereq; inſani Leonis vim ſtomacho ap-
ponebat infantis, vt ad ſtrages adoleſceret ho-
ſtium, ad vaſtitates vrbium, ad exitia regnorum, ad

Digitized by Google

excidia prouinciarum. Sed qui nutrice pariter,ac præceptrice ſapiëtia ad miſerorum ſalutem Hercules informabatur, victoris quidem de tribu Iu-
Apoc. 5. da Leoniscarnibus veſcebatur identidem,ſapidiſſima tamen inde ſaginatus apparebat calamitates hominum miſerantis medulla diuinitatis. Nec ſitim inde ſanguinis hauriebat, & cædis, vbi
Prou. 9. mixtum ſalutaris aqua ſapientiæ vinum bibebat
Eccleſ. 5. ad ebrietatem. Ad illam ſcilicet ebrietatem,quam vt edormiret IVO dormitoriũ properabat ad ſa-
Gen. 28. xum mollioris cum exule Iacobo trãsfuga requietis. Nefas enim exiſtimabat,ſi delicatum illius capitis membrum cum Ælio Vero molli dormiret in roſa,quod extremum captaſſe ſomnum in cruce nouerat inter ſpinas. Tametſi quàm molliter
Pſal. 36. cubat, cuius capiti ne collidatur, ſupponit Dominus manum ſuam! At quid mortalium integerrime moliris? caput excrucianti ſaxo acutos
Epiph. l. 1. p. 34. addis veſtis cilicinæ mucrones? An ignoras Phariſæos, illos inquam non tàm læſæ Maieſtatis æternæ, quàm ſanctitatis affectatæ reos iniquiſſimos, inter dormiendum lapillos ſibi ſpinasq; ſubſternere conſueuiſſe? Itane ſceleratorum hominum inuentum probas, nec eorundem exitum perhorreſcis? Sed non amat ille voluntatem improbam,ſalutare qui conſilium probat. Spinarum illi punctionibus adhibitis acqui-

rendæ

rendæ apud homines gloriæ inuigilabant, parum tamen de ſalute ſolliciti altiùs dormiebant. Cum ſpinarum infixis aculeis cruciabantur, barbarum excruciandi olim Numinis documentũ addiſcebant. Nec de ſpinis vuam illi colligere poterant, *Matt. 7.*
niſi fortaſſe vuam fellis, & botros amariſſimos, *Deut. 32.*
quippequi nonniſi vinum felle miſtum ſitienti *Matt. 27.*
propinarunt Deo. Nec è ſubiectis lapidibus excitare poterant ædificium Deo, qui factum in caput anguli lapidem ædificantes peſſimi reprobarunt. *Pſal. 117.* Qui verò ſetarum mucronibus admotis dormientem ſeſe lacerabat IVO adhibitis veluti *Oſe. 2.*
ſpinis inimico in ſomnis venienti obſepiebat viã. *Matt. 13.*
Erudito autem diuinitùs capiti lapidem adhibebat IVO, vt laurea pluſquam Apollinari digniſſimum caput coronario veluti lapidi aſſueſceret, quippe quòd corona mox in Cælo donandũ erat è lapide pretioſo. Sapientiæ domum ſuprà petrã *Matth. 7.*
ædificaturus benè caput lapide fulciebat, vt ſapiens Architectus fundamentum ponere diſceret, *1. Cor. 3.*
quod ſolum poſitum eſt lapis angularis Chriſtus. Illum ſibi lapidem non ſecùs ac terminalem columnam ponebat Hercules beatiſſimus. Terminalem dixi? At laborum ille terminus eſſe non poterat, vndè ad labores exanthlandos longior adornabatur excurſio. Neque enim laboribus terminum ponit, qui virtutis amore tenetur interminatæ

minatæ

minatæ. At ſi repetendis ſubinde laboribus terminum ſtatuere nullum voluit IVO, æternum tamẽ habuit ſaxum illud abſumendæ numquam apud poſteros gloriæ monumentum. Vt quærenti Baſilio, quis dormiens trophęum ſtatuit? hãc IVONIS fuiſſe prærogatiuam liceat reſpondere, cui vel in ipſam mortis imaginem reclinato deuictæ Trophæum illecebræ ſtatuere contigit immortale. Verùm vt etiam in ſomnis ad obſeruatas diligentiſſimè fores ſapientiæ vigilaret, diuinos capiti codices ſupponebat. O factum benè! quàm enim eruditus euigilabat, qui ſapientiæ dormiebat in ſinu? Nec iuxta viperam (quod monebat rectè Hieronymus) ſomnos IVO capiebat, qui in hominum cuſtodis, & procuratricis amantiſſimæ iacebat amplexu. Cuius nempe documento reptantes ad ſe criminum viperas maxime virulentas illa conficere didicerat manu, quam generoſitate prorſus Herculana glorioſis antea cædibus, quam ætate durauerat. Alexander, apex ille celſiſſimus bellatorum, ſomnos etiam triumphales habiturus Homericam Iliadem, carmen illud videlicet planè triumphale, laureato capite premebat, ne vigil, ac ſui victor animus à ſapientia feriaretur, dum ab hoſtium victoria deſes feriari dextera cogebatur. Et bonorum igitur omnium Iliadem illã diuiniſſimam ab oculatiſſimo ingenij verè cæleſtis

Baſil. orat. de bapt.

Prou. 8.

Hier. ep. de vitãdo ſuſpecto contub.

Cic. 4. de fin.

Val. Max. l. 8. c. 8.

Digitized by Google

87

leſtis Homero deſcriptã ceruici ſubijciebat IVO ſomni futuram eruditiſſimi conciliatricem. Itàa non tàm ſedendo, quàm iacendo ſapiens factus euocatur in forum, vt qui diu meditatus ànimo fuerat ſapientiam, loqueretur lingua iudicium. *Pſ. 36.*
Iudex ergò renũciatus illud apud ſe ſtatuit IVO, vt qui ſuarum ſibi ſedium aſſiſtricem ſapientiam *Sap. 9.*
dederat Deus, ſolam Iuoniano pro tribunali ſedentem illius oculi viderent æquitatem. Sed ab *Pſ. 16.*
IVONE Iudice ad IVONEM ire Patronũ iuuat. Vix enim cõpellari ſe Iudicis nomine ſuſtinet, qui ſine lachrymis perſonam Iudicis non ſuſtinebat. Nã quoties ad ſtylũ decretoriũ accedebat, vt iudiciũ ſcriberet capitale, vberes è corde lachrymas prouocabat, vt notam credo funeris obliteraret, quando irrogatam ſceleris abolere non poterat noxam. Ità atratos ille characteres niueo lachrymarum infuſo liquore diluebat, vt candido ſaltẽ miſerantis ſuffragio cordis reum abſolueret, quãdo non licebat candida id manus nota præſtare. Liquebat enim verò quanta eſſet in reum miſericordia Iudicis, dum ille per indices miſericordiæ lachrymas cor mitiſſimum eliquabat. Inuitus illam Ivo lineam ducebat, quam futuram intelligebat miſero vitæ ſupremam. Vſurpaſſet opinor eo temporis puncto voces illas: Quàm vellem neſcire litteras! niſi Neronis, hoc eſt ad perniciem *Suet. in Ner. c. 10.*
homi-

Digitized by Google

hominum peſſimè litterati Principis voces agnouiſſet. Dum interim aurea fortunati Verbi catena ſibi pariter, ac vitæ adnectere non poterat laqueo iam & morti deuotos Reos, lachrymarū profundebat argentū Hercules amantiſſimus, caſtum illud eloquiū oculorum, argētum longè pretioſiſſi-
Pſal. 11. mum igne charitatis examinatum. Qui verò ſic erat in Reos affectus Iudex, qualem fuiſſe Patronum exiſtimatis Auditores? ſuſpicite quæſo vos numeroſa egenorum corona ſtipatum IVONEM, & Herculem non negabitis Gallicum aureis efficaciſſimi patrocinij vinculis eoſdem feliciter obligantem. Pupillorum ille cauſas, & Vidua-
Thren. 5. rum eo cùm animi ſuſcipiebat ardore, vt iam nō eſſent abſque Patre Pupilli, quibus aderat IVO Patronus. Et ſanè cauſa cadere non poterant,
Pſal. 61. quos IVO patrocinio fulciebat ſuo. Neque enim parieti nitebantur inclinato qui rectiſſi-
Pſal. 118. mi cordis viro nitebantur. Viro ſcilicet qui ne deprimentis auri pondere cor in auaritiam inclinaret, aurum proſcriptionum omnium Auctorem procul à corde proſcripſerat, & ne pretioſis quidquam in nominibus haberet, nullius pretij nomina ſuum referebat in cenſum, vtq; nihil haberet in numerato nullo homines numero inter ſibi pretioſiſſimos enumerabat. Iam verò quem Herculem vidiſti lingua Gallicano meliorem

Hercule

Digitized by Google

Hercule intueamur manu. fuiſset enim IVONI parum impendiſse pauperibus verba, ſi cordis illas litteras amantiſſimi appoſito veluti erogatæ pecuniæ ſigillo non obſignaſſet. Quid enim? non habuit IVO verba venalia. Quantum denique iſtud eſt Iuonianæ munificentiæ argumentum? Perennius ære monumentum erogato melius auro exegit IVO, quàm ſonantiū ære verborum dato, & verba tunc verè fecit pretioſa, cum dato liberaliter auro cumulauit. Si pauperum prodeſſe cauſis patrocinio non poterat, eorum tamen deeſſe non poterat orbitati. Iuuabat auro clientem, quem verborum auxilio deſtitutum agnoſcebat. Ita pretium ille clientelæ faciebat lege planè præpoſtera, ſi non omnium prima Charitatis eſset lex. Publici egenorum iuris domum fecerat ſuam, exulantique aſylum, ne dum hoſpitium aperuerat calamitati. fortunatam ſanè calamitatem, cui tantum habere contigit Ædilem? Quos longo viarum labore defeſſos hoſpites excipiebat omni charitatis officioſiſſimæ ſignificatione recreabat. Ad ſordidos eorum pedes abiectus abluebat. O verè non indecoro puluere ſordidas manus, o planè ſpecioſos fortunatorū hoſpitū pedes! Velociore poteratis iā itinere progredi, quibus alas Iuoniana charitas addiderat: ſi non aurearum vos compede catenarū potiùs obſtrinxit,

Hor. 3. car. od. 30.

Hor. 2. car. od. 1.

quæ

quæ non aurum minus, quàm aquam nouit effundere Herculis liberaliſſimi manus. o manum verè auream, cui tantum inſtar illarum manuum habere datum eſt, quæ aureæ cum eſsent ſordeſcentium tamen pedum extergere puluerem non detrectarunt! Et quidem cur auream ego manum illam non dixerim, quæ nihil non aureũ habebat, vnam ſi demas auream in largiendo mediocritatem; nõ enim ſeruare mediocritatem nouerat, qui omnes largitionum terminos tranſilire conſueuerat. Etenim vllum ne largiendi terminum ſeruaſſe dicẽdus eſt IVO, qui ſuis attingere largitionibus potuit omnes poſitũ extra terminos immortale numen! Splendido ſemel exutus æternæ lucis paludamento pullatos inter pauperes adfuit apud IVONEM conuiua pannoſus Deus. Tuas huic inijce catenas Hercules fortunatiſſime: quãta ſiquidem tibi obtinget præda, ſi Deum tenes? ſed tenentur hominis oculi, ne illum agnoſcant, qui deſiderium eſt proſpicientium Angelorum. Sublata igitur menſa ex omnium ſe aſpectu ſubtraxit, qui ſordidatus homuncio videbatur, & verus inceſſu patuit Deus. O IVONIS domũ ipſi propemodũ Cælo parem! O ſupremi contubernalem ne numinis IVONEM? an IVONIS contubernale ſupremum Numen? Non vnius tamen largitione muneris bonorum ſibi largitorem omnium

Cant. 5. *Io. 13.* *Hor. 2. car. od. 10.* *Luc. 24.* *1. Petr. 1.* *Virg. Aeneid. 1.*

nium deuinxit IVO. Ne petita fraudatum ſtipe dimitteret aliquando, quem obuium habuit egenum detracto ſtatim ſibi de capite galero donauit. Sed breui tanta ſe donatione obæratum ſenſit qui ſordido ſub palliolo latebat Deus: galerumq; ex inſperato reſtituit; ſi non alium de Cælo repoſuit, ineundi nempe mox Regni diadema, illuſtrem ſempiternæ gloriæ teſſeram, & inter Dei Filios obtinendæ pignus certiſſimum libertatis. Ita fœneratur Domino qui pauperi miſeretur. Superis ita gratus, & imis ſuos apud Gallos Herculem egit IVO. Inde glorioſum pariter, ac nobile patrocinandi munus tranſmiſit ad vos Pauperum ille ſanctiſſimus Aduocatus. Qualem proinde exprimitis munere, talem par eſt exprimatis & moribus IVONEM. Vt dum gemino gaudet Hercule Gallia, totidem quot hic eſtis gratuletur ſibi Hercules Roma geminata linguæ, manuumq; virtute Gallicanos.

Rom. 8. *Prou. 19.* *Hor. 1. car. od. 10.*

LAVS DEO.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag.Sac. Pal. Apoſt.

A. Torniellus Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sac.Pal. Apoſt. Mag.Ord. Prædicatorum.

ROMÆ, Typis Franciſci Corbelletti. MDCXXXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google